



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quęstio 1. Quomodo vocauit bonos & malos?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

Deo sese dedant, quasi vero alium in finem creati sint, quam ut Deo seruiant. Horum deterrimi seruos *legi-
morum, & pharisaeorum* contumeliosi, & iniurijs affecerunt. Maior illorum est infamia; nam contemptui seruitiam addunt, quae posteriores seruos exercent. Nempe Baptistam, Apostolos; nam in illos grauius, quam in Prophetas exarserunt. Contemptores cenae excluduntur, homicidarum ciuitas exurit, omnes tamen rebelles, si enim adesse regi in conuiuio nolebant, quomodo, si ad belli labores, ac pericula vocarentur, assisterent? Ira igitur grauissima in eos effusa est, quia vocati in societatem filij Dei, tantam neglexerunt salutem, & repellentes verbum Dei, seque iudicantes indignos vitae aeternae, effecerunt, ut Rex miserit ad gentes, & impleat nuptias ex illis. Christum autem Sponsum dici constat, & c. 9. 15. Ioan. 3. 29. Apocal. 19. 7. Hinc & Ecclesia Sponsa Apoc. 21. 2. Ephes. 5. 25. Conuiuium in Ecclesia inchoatur, in caelo perficitur. Vide Augustin. contra Arian. & l. 50. Homil. hom. 32. cap. 2. qui etiam de incarnatione interpretatur.

QVÆSTIO II.

An eadem sit apud Lucam & Matthaeum parabola?

§. 1. **L**ucas in circumstantijs à Matthæo dissentit. Nam ille conuiuium, Matthæus nuptias appellat. Plures seruos Matthæus, Lucas vnum habet. De seruis pulsatis, & occisis, nihil Lucas meminit. Itaque multi diuersam esse parabolam arbitrantur. ut Augustinus l. 2. de consensu Euangelistarum. Greg. hom. 38. in Euang. D. Thom. Barradius. Abulensis rationibus nondecim probare nititur, diuersas esse parabolas. Et quamuis responderi ad aliquas fateatur posse, concedit tamen non posse ad omnes. Et forte ad eas omnes responderi potest, quas ille adducit; nam precipuam, quae rem necessario conuincit, omittit. Eandem putat Iren. l. 4. c. 70. & 76. & Maldonatus, multi que alij viri docti, qui de circumstantijs conciliandis laborant.

§. 2. Diuersam esse, aut vnam diuerso tempore, & loco narratam, ex sacris literis posse demonstrari, mihi planè persuadeo. Nam illa quam Lucas recenset in Galilaea & in conuiuio narrata est, hæc, de qua Matthæus agit, Ierosolymis, & in Templo. Hæc duo si probentur, facile constabit, non eodem tempore recitatam, nec ideo mirum, si circumstantijs differant.

De hac ergo constat Ierosolymis habitam, non in conuiuio. Nam cap. 21. 23. ingressum in templum, rogant Pharisæi in qua potestate ista faciat, quibus ille aliam quæstionem subiungit de Baptismo Ioannis. & v. 28. Parabolam de duobus filiis refert statim eodem tempore. & v. 33. subdit, aliam parabolam audite, Homo erat Paterfamilias, & c. absoluta, cap. 22. respondens iterum in parabolis eius, dixit simile factum est regnum caelorum homini regi. Hæc ergo necitur cum illis quæ in templo dictæ sunt, & particula; iterum indicat illas præcessisse, hanc sequi, at priores in templo dictæ sunt, post solennem ingressum ergo hæc quoque post illud tempus dicta est. Non enim diceret Euangelista nunc, iterum in parabolis Christum loqui, si id quod in iterato sermone recensetur, iam ante in Galilaea dictum fuit, & nunc non dicitur.

Deinde hæc parabola immediatè cohæret cum disputatione de censu dando. n. 15. Tunc abeuntes Pharisæi, & in illo die accesserunt ad eum Sadducei versu 23. & Pharisæi audientes quod silentium imposuisset Sadducei v. 34. de mandato maximo quæstionem proponunt; Hæc enim videmus non modo textui coniungi, sed etiam particulis, quæ indicent eodem tempore dicta esse.

Denique post ista, nemo fuit eum ausus amplius interrogare, at vero crebro post illam parabolam in Galilaea habitam interrogatus est. Post hoc autem abeuntibus Pharisæis parabolas ad turbas dicit. cap. 23. & cap. 24. egreditur de templo. Non igitur quicquam horum in conuiuio dictum est, nec illo extremo tempore quisquam eum ad conuiuium Ierosolymis inuauit. Constat igitur de huius parabole tempore quod fuit inter diem Palmaram, & Passionis.

Probandum etiam, Parabolam, quam Lucas habet, in Galilaea dictam. Hoc ex cap. 14. constat. Nam *gressus est Iesus in domum Principis Sacerdotum ut panem manducaret, & versu 15. cum quidam ex discumbentibus dixisset, Beatus qui manducabit panem in regno Dei, ipse dixit ei; Homo quidam fecit magnam, & c.* Hoc autem conuiuium fuit in Galilaea. Nam c. 17. vadit in Ierosolam per Samariam & Galilæam. Itaque ante fuit in Galilaea, aut remotiore loco. Deinde post parabolam hanc in Luca sequitur: *Ibant autem turba multa, comes, & conuersus dixit ad illos. Si quis venit ad me, & non eduxerit, & matrem, & c.* Hæc autem verba, de abnegatione & cruce tollendâ, sunt immediatè coniunctam, cum parabola, quæ est apud Lucam; at illa dicta sunt in Galilaea, ut constat ex 11. Matthæi. Postquam enim illa dixit: c. 11. subiungit: *Et factum est cum consummasset Iesus præcipiens duodecim discipulis suis, transiit inde, prædiceret, & predicaret in ciuitatibus eorum.* At sane post hanc parabolam in Matthæo nullis in ciuitatibus amplius docuit.

§. 3. Mittit exercitus v. 7. nam postea tota ditio destructa est. Nec ideo tamen Deus est auctor peccati, nam ad legitimam pœnam exigendam mittit, occisa sunt vndecies centena millia.

Reiecit sunt illi quia indigni fuerunt, & liberalitati inuitantis resisterunt. Non minus tamen etiam alij fuerunt indigni. Sed sua eos bonitate vocauit, non habuit aliena malitiæ rationem.

Horum in locum vocat, v. 9. omnes. Hoc est in vniuersum omnes, alium alio modo, omnes tamen vniuersum, mo causati possit se nunquam vocatum, alios per Doctores, alios per Miracula, alios per Angelos, multos per internos instinctus. Nec in horribili illa die inuenietur, qui præter cætera peccata, non oblatam gratiam non repudiari, & vocantem non spreuerit. Grauiusne potro etiam publice in hac vita puniri solent, qui sæpe vocantem sæpe contempserunt. Qui admissum reiecerunt. Eæ enim causâ integras prouincias sub tyrannorum potestatem redactas videmus.

VERSUS 10.

Et egressi serui eius in vias congregauerunt omnes, quos inuenerunt, malos & bonos, & impleta sunt nuptiæ discumbentium.

QVÆSTIO I.

Quomodo vocauit bonos, & malos?

§. 1. **Q**uæstionem proponit Augustinus, l. de fide, & operibus, c. 17. Antè vocationem enim, extra Ecclesiam nemo est bonus. Respondet vero ad duxerunt serui bonos, & malos, siue quia laterent, siue quia iam adducti & intrinseci appaerent: Siue bonos & malos, in dictum est secundum humanam quandam conuersationem, in qua etiam qui nondum crediderunt, vel laudari vel vituperari solent, & paulò post de illis apud quos discipuli manere iubentur. Profecto ille dignus quis erit, nisi qui existimatione suorum ciuium bonus habebitur? & quis indignus, nisi qui malus illis innotuerit? Eos autem

Diuersam
Parabolam
multi putant.

Hæc in vrbe
Ierosolymorum,
illa in
Galilaea est
dicta.

venire dicit nolle, quin peccatis perseverare voluerunt.

Abulensis bonos putat viros honoratos; malos, pauperes. Verum recta accommodatione tota difficultas tollitur. Hoc enim solum dicitur serios regios, nullo morum, aut status discriminē passim obuios inuitasse, atque in palatium induxisse. Hoc modo omne genus hominum ad fidem vocatur. Paulus dum persequitur Christum, Cornelius dum orat; nulla gens, nullus sexus excluditur. Serui scientes volentes nullum domino suo inimicum admiserunt, sed cum iudicium de animo singulorum ipsis committitur non fuerit, præsumpserunt esse bonos, quos nescierunt esse malos. Alio autem modo vocari ad Christum bonos, & malos dicemus. Primo quidem ad fidem, & iustitiam primam vocari censentur, & ita omnes qui vocantur sunt mali; sed boni tamen quidam ciuilibiter, non omnino scelerati. atque ita intelligi scriptura posset. Verum malo accipere de iustis, qui fidem habuerunt in Messiam, ut dicantur vocati, ad credendum hunc dominum Christum esse, ut de Cornelio dixi. Sic Iosephus ab Arimathia, alique vocati sunt, ad expressam fidem præsentis Messie.

VERSUS II.

Intrauit autem Rex ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali;

QUESTIO I.

Que vestis nuptialis?

§.1. Syrus vestem conuiuij, seu vestem conuiuialem appellat, ἡ δὲ νύμφα γαμου. Vestu nuptiarum, Constat Christum nolle ut conuiuium in cenaculum admittat, si secuti sunt, possunt enim mereri, ut eiiciantur.

Primo quidem constituendum est. Vestem nuptialem non esse fidem solum. Et Calvinus quidem negat hic disputandum, an fides sit vestis, an noua vita? Bullingerus: Vestis, inquit, nuptialis est vera in Christum fides, vitæ, sanctitatis: addit vero. Frequentissimum esse conuersationem ac integritatem vitæ per vestem significare. At fide iam ingressi fuerunt, & alij quia increduli fuerant, non venerunt.

Calvinus, etsi, ut dixi, neger disputandum, valde tamen lubricus est. Primo ait: non exprobari ludæis, quod vocationem contempserint, sed eos qui subrogant in locum illorum, maturè præmonere, ne suis sordibus sacras nuptias inquinent, ubi Deus mensæ suæ participatione dignatus fuerit. Minari id inde ex hoc munere exterminandos, qui Ecclesiam contumelia affecerunt. Non enim omnes qui ingressi sunt participes fore vitæ æternæ, sed qui ornatu dignum cœlesti palatio gestant. Non autem querendum esse, an vestis sit fides, an pia vita, cum separari illa non possint. Ex quo constat eum si prauis, & sine regis offensa celebrandas: nec enim inani fidei titulo Deo placere possunt. At paulò post ait, non aliò spectare Christi verba, quam externam fidem professionem minimè sufficere, ut pro suis Deus agnoscat, quicumque videntur nomen vocationi eius dedisse. Si requiruntur fides & opera, ab utrisque ergò salus dependet: ab utrisque ergò certitudo salutis, sine qua non est secundum Calvinistas villa salutis. Non ergò eò tantum spectant Christi verba, ut ostendant non sufficere externam fidei professionem, sed ut caritatem, spem, ceterarum virtutum ornamenta etiam necessaria demonstrent. Musculus eos, qui veste nuptiali carent, hypocritas esse dicit. Id ex parte verum.

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

est, nam amicorum in locum venit, sed regem non amat, non tamen hypocrita est fidem simulando, sed non diligendo.

§.2. Idem Calvinus: [Secundi sunt, inquit, intrant, & profitentur velle se seruire Deo, interea autem sibi imponunt, quod non habeant veram radicem, ut Simon magus, qui non simulabat se fidelem, sed conuersus in animo veritate Euangelij proficebatur eam: at non habebat radicem, quemadmodum illi Petrus exprobat Act. 8. 13. Tales certe sunt, quibus Dominus impertitur Spiritum suum, & quos ad tempus dumtaxat illuminat, deinde suæ ingratitude merito deserit, & maiori percutit cœcitate.]

Hæc cæteris Calvinianis sunt contraria, qui deferunt in Colloquio Mompelgartensi profitentur, verborum illorum: Simon credidit, sensum esse, credere se simulauit; itaque & ille, qui veste nuptiali caruit, non simulauit fidem. Nam de veritate conuictus est, à Deo illuminatus, & spiritu Dei donatus, deinde vero ab eodem desertus. Si ficta fuit, non vera fides, non fuit illuminatio à Deo, sed abominata simulatio, quæ à Diabolo venit. Nec deseruntur à Deo, quorum Hypocritis ille detegit. Hinc sanè consta, nullum esse debere de salute securum, quia hic conuiua regis, de mensa ad supplicium trahatur. Intrata, discumbebat, cibo regio vescabatur, sed persecrantia defuit. Hinc coactus rei veritate Musculus vocationem efficacem solis, ut plurimum, electis dari scribit, cum cæteri Calviniani solis omnino electis eam tribuant. Si ut plurimum, non igitur semper.

Efficace vocatione, ut plurimum, solos electos Deus dignatur. Calvinus l. 4. institut. cap. 14. §.29. Hunc per solam fidei professionem ingressum tradit. [Illud verbum Domini de multis vocatis, paucis autem electis: pessime in eum modum accipitur: ut germanum sensum habeamus, notandum duplicem esse vocationis speciem. Est enim vniuersalis vocatione, quæ per externam verbi prædicationem, omnes pariter ad se inuitat Deus: etiam quibus eam in mortis odorem, & grauioris condemnationis materiam, proponit. Est altera specialis, qua, ut plurimum, solos fideles dignatur: dum interiori sui Spiritus illuminatione efficit, ut verbum prædicatum eorum cordibus insideat. Interdum tamen ijs quoque impertitur, quos ad tempus dumtaxat illuminat, deinde suæ ingratitude merito deserit, & maiori percutit cœcitate.]

Itaque à Caluino hoc Musculus est mutuatus. Sed tamen ipse Calvinus fatetur, etiam reprobos aliquando illuminari. Zuinglius fide internâ, & operibus caruisse dicit, communi errore, quod ista inseparabilia existimaret. Hoc tamen experientia refutat. Sunt in Ecclesiâ non modo boni, sed & mali, fide præditi sunt: per eam enim sunt in Ecclesiâ, per eam vocanti paruerunt. Qui enim in Ecclesiâ damnantur, non de fide, sed de vitâ iudicantur. Stant ad sinistram, nec arguuntur perfidiæ, sed immisericiordiæ.

§.3. Hieronymus vestem nuptialem appellat præcepta Domini, & opera, quæ ex lege & Euangelio complentur, & efficiunt nouum hominis vestimentum. Eodem modo cæteri patres appellant opera, aut caritatem. Orig. hunc in locum. Ambros. Sermon. 14. de natali Domini. Euthym. Theodoretus ad Græcos infideles ὅτι τῆς περὶ αὐτοὺς ἀρετῆς pag. 167. Καὶ τὸν ἐσθλὸν καὶ βέλῃ μὲν ἔχοντα ἀρετῶν καὶ τὸν δεινὸν καὶ τῆς δουλείας ἐκλάσσει. Et non indurum veste nuptiæ conueniente, à conuiuiis separauit, & epui is expulsi.

Plures eodem loco in hanc rem parabolas colligit, & concludit more Philosophico verissimo dicto.

"Obingra"
"ritudinem"
"deseritur."

Calvinianorum pugna.

Vocatio electorum.

Calviniana vocatio.

Per fidem in Ecclesiâ sumus.